

Vindocinensis comes præficiuntur: media Renato Barrenfium & Lotharingæ duci data est: ipse rex in tertia cum Borbonio & Trimolio cõstitit: vt quo res postularet, opem ferret: cornibus præerant Sanfeuerus & Raius tribuni militares. Alia quoque acies paulò remotiùs, ad incerta prælij Ioanna, Notho Aurelio, Alebreto, Hira ducibus collocata. Balistarios in certos numeros distributos ducebãt Grauilleus & Ioannes Foucaldus Lemouicensis. Hostium castra ab vtraque parte difficilem habebant oppugnationem: nam firmissimas munitiones Bedfordiensis tota nocte erexerat, locisque idoneis tormenta & perpetuas militum stationes imposuerat. Terga palus limosis & perpetuis aquis fœda & inaccessibilis tegebat. Duces Frãci admirati loci iniquitatem, nequaquam temerè oppuganda castra censebãt. Indignantes milites & signum prælij exposcentes edocent non nisi magno detrimento, summâque virorum fortium clade expugnari locum tam munitum posse: adeò tamen erecti erãt omnium animi, vt ægrè ducum imperio sub signis contineri potuerint quin in hosteis facto impetu concurrerent: & quia natura Francis indita est pugnandi alacritas, plerique à signis dilapsi hostium castra excursionibus fatigabant, atque in æquum vtrisque pugnandi locum hosteis eliciebant. Illi primò impetum Francorum fortiter sustinere: mox aucti nouis clientum militumque subsidijs, eos longiùs propellere: porrò Franci superuentu suorum pugnam instaurare. Postremò

mò